14

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAEDAM

DE

NOSTALGIA

CONTINENS.



AUCTORE JOSEPHO JACOBO FORBES.

PROŒMIUM.

In omni aevo, omnibusque locis, homines, sive rudes, sive agrestes, sive artibus exculti, amorem patriae, studiumve erga natale solum summum ostenderunt. Affectionem hancce, omnibus perceptam, cordique hominis sane innatam, et Poëta et Orator palam praedicavere; amoenitatesque loci quo aëra vitalem primum carpsimus, carminibus vatum, ab HOMERI temporibus, usque ad ae-

tatem nostram, summis laudibus elatae fuerunt.

Desiderio huicce grato animus, multas ob causas, intentius immoratur. Hoc etenim in loco, homo in lucem editus est; ibi annos teneros peregit, pueriliaque fecit. Oppidi natalis aedificia, regionis vicinae incolae, silvae, campi, rivi, montes, vallesque, tempore quo novitatis studiosus fuit, ei ante oculos versabantur; eaque de causa, animum suum adhuc inexpertum altius penetraverunt.

Hisce in locis et ipse et socii pariter incogitantes, futurique improvidi, laeta et juvenilia ludebant; curisque angoribusque aetati provectiori obsidentibus, adhuc vacui, vitae jucunditati feliciter indulgebant.

Quot dies hilares aestate sumebat coronidaeque ludis vesperi imposita, victu crastino parum anxius, aequo animo sese somno dabat: nec atrae curae gaudiis suis incubuere, nec aegritudines cruciantes quietem ademerunt.

Quoties procellis hiemalibus domi detentus, aut ludis levioribus intus operam summa laetitia dedit, aut seria mixta jocis arrectis auribus hausit; aut terrore gaudioque perculsus, matronae vicariae cujusdam fabulis pariter et mirandis et horrendis auscultavit.

Felicitatis stadiis vitae provectioribus fruendae expectatio, animum ei arva nativa pererranti forsitan detinuit; spesque penicillo suo specioso gaudii futuri picturas imaginationi ejus delineavit. Illa loca ob recordationes et pergratas ei in animum saepius veniunt. Cognatorum dilectissimorum oculos morte adstante ibi forsitan clausit; ibique debito naturae supremo absoluto, cum avis acquiescere; pulveremque suum cum cineribus consanguineis miscere enixe expetit; spesque haecce solatium summum sibi praebet.

" Quum abessem," inquit CAMILLUS, post redditum suum ab exilio, " quum abessem, " quotiescunque patria in mentem veniret, " haec omnia occurrebant, colles, campique

"et Tiberis, et assueta oculis regio, et hoc "coelum, sub quo natus educatusque es- "sem *."

Pater rerum omnipotens sententiam hancce, consilio optimo hominum animis certo certius infixit; quippe quae et virtutes praestantissimas, pro decore naturae humanae summo jure habendas, facile alat; et ad facinora egregia vel pleraque vel omnia, literis, summa cum laude mandata promptius stimulet.

Vincula homines locis quibusdam subnectentia, patriae amorem insignem, ardoremque tantum iis injicere, ut res capitaque sua pro aris et focis promptissime obtulissent, mortemque libentissime oppetiissent.

"*Dulce et decorum est pro patria mori.*" Heroes tum Graeci tum quoque Romani amore patriae incitati, res factave insignissima semperque laudanda gesserunt. De fortitudine, virtuteve Curtii, Deciorum, Mu-

* Tit. Livii Hist. lib. V. cap. liv.

CIIque CODRI, pueris ubique in scholis declamatum est.

Animus HORATII COCLIS intrepidus, qui, exercitu Etrusco toto in ponte Sublicio sustentato, usque dum pons super Tibero hicce dirutus fuisset, libertatem reipublicae novae incolumen praestitit, gloriam sempiternam summam certo certius consecutus est, monumentumque aere perennius exigit.

Animi MUTII SCAEVOLAE magnitudo virtusve vix ac ne vix quidem credenda est. Sermonem de FABRICII fide incorrupta, qui agellam suam sterilem Sabinum auro PYRRHI profuso nobilissime anteposuit, fusius facere, supervacaneum sane foret.

Oppugnatio Thermopylis egregia, etiamsi, pro dolor! infausta; victoria Plataeae, Salamine pugnaque Marathonia praeclares aeternitate certo certius consecrantur, laudesque nepotum nostrum natorumque ab illis summas, sibi jure summo vindicabunt.

Illis attamen ex temporibus priscis, amoris patriae exempla praeclara, ne solummo-

do quidem deducenda sunt. Magnanimi Wallesii facta, res gestaeve in popularium omnium suorum memoria altissime reposta manent, manebuntque; Scotique recentiores de praelio Bannockburniensi immortali summo cum jure adhuc gloriantur.

Temporis illius quo majores nostri, tanto impetu, tantaque fortuna de libertate sua demicaverunt haud immemores, ad res gentis vicinae neutiquam dissimiles, natura consensuque adducimur, ut animum promptius adhibeamus. Fatis diversis Galli fortissimi periclitati sunt. Hinc lachrymae nec immerito oboriuntur.

Consilia etenim improba, resque politicas quae in terra Europaea Continente hodiernis temporibus geruntur, moerore et horrore contemplantes, regnaque vel sub tyrannorum jugum missa, vel servitutis minis territa cernentes, nobis metipsis ex animo congratulamur, eo quod Britannici nautae, viri fortes et animosi, et acriter morte sese offerentes, amore patriae summo affecti, liber-

tatem nostram, hostibus invitis atque eorum ingratiis semper salvam praestabunt ; verbisque exultantibus, quibus VALLERUS poëta eximius unum ex regibus nostris antiquioribus olim allocutus est, hisce etiam temporibus uti liceat :

" Where'er thy navy spreads her canvass wings,
" Homage to thee, and peace to all she brings.—
" 'Tis not so hard for greedy foes to spoil
" Another nation, as to touch our soil."

Verum enimvero, etiamsi sensus patriae amoris, " *quae omnes omnium caritates una* " *complexa est*," commodis tam multis, tamque insignibus certo certius inservit; beneficiorum tamen omnium aliorum instar morem ei plus justo, gerentibus hominibus admodum nocet. Homines etenim affectioni huicce nimirum indulgentes, vitamque in regionibus alienis τηλοθι πατρης degentes, signorum morbosorum serie dira saepissime corripiuntur. Hisque signis scriptores nosologici nomen Nostalgiam indiderunt.

De morborum classe, in qua morbus noster rite collocandus est, nosologis neutiquam

idem animus est. VOGELIUS, haudque forsitan perperam, morbum de quo verba facienda sunt, pro melancholiae specie habet; nosologis aliis tamen judicibus, Nostalgia certum habet inter morbos idiopathicos ac definitum locum.

CULLENUS in academia medica hacce olim Professor illustrissimus, scriptorque nosologicus eximius, etiamsi VOGELII de morbi hujusce natura sententia ei arridere videtur, nosologorum aliorum digestioni assensim, praebens malum de quo deceptatur in ordine "*appetituum erroneorum*;" ordine, scilicet "*dysorexiarum*" collocavit.

Ex his vero appetitibus, quidam, et *Nostalgia* potissimum, locum inter "*Vesanias*," si mens me recte monet, sibi vindicant. CULLENO attamen aliter visum est, morboque nostro situm inter Locales dedit, definitionemque ejus hancce tradidit.

DEFINITIO MORBI.

" *In absentibus a patria, vehemens eandem* " *revisendi desiderium.*"

Nostalgiae species duas Cullenus recensuit.

1. *Nostalgiam,* videlicet *simplicem, sine alio morbo.*

2. *Nostalgiam (complicatam) aliis morbis comitatam.*

Verba sequentia apud paginae nosologiae suae methodicae 318 ad calcem legenda Cullenus in nota subjunxit : " *Nostalgia* " *sola, si quidem revera morbus sit, minime* " *pro locali haberi potest ; sed morbum incer-* " *tum a caeteris dysorexiis separare non be-* " *ne potui.*"

Notae hujusce verba, a consuetudine aliena, ni fallor, jure habenda sunt. An *nostalgia* verus morbus sit, necne, scrupulus

Culleno restare videtur. Si de morbi hujusce natura jure ambigitur, quamobrem in *nosologia* ejus *methodica* Cullenus eum incluserat, quaerere liceat; sin autem *nostalgia* revera existat, proque affectione morbosa idiopathica rite habenda sit, ratio ne patet quidem, quare inter morbos locales enumerata est, Culleno ipso confidente, "minime pro locali haberi potest."

Ne mihi in vitio verteretur, si librum professoris nostri eximium censoria virgula leviter notare ausim. Hi loci, prorsus, me judice, inter se discrepant; peritiores judicent tamen, repugnantiamque, quae videtur esse, aut explicent, aut removeant.

Definitio Linnaeo tradita, brevior quidem, Culleni definitioni haud multum distat. Quod ad definitiones *nostalgiae* hasce quidem pertinet, eas pro morbi definitionibus neutiquam sane habuissem, nisi si eas in libro nosologico legissem. Eaque de causa promptius adducor, ut definitionem Sauvagesio datam, omnibus hisce anteponam:

"*Parentum patriae tanta cupiditas, ut hac*
"*non expleta aeger gravi morbo decumbat.*"

Sagarus more solito verbis abundans, historiam potius ac morbi definitionem literis mandavit.

Verum enimvero, si mihi venia daretur, ut definitionem *nostalgiae* aliam proferrem, morbum huncce verbis sequentibus definitum haberem :

"*In terra aliena animi impatientia ; desi-*
"*derium domum redeundi vehemens, cum me-*
"*lancholia, anorexia, pervigilioque.*"

Haecce de *nostalgiae* definitionibus in limine ponere lubet, morboque nostro hoc modo definito, ad historiam ejus tradendam memetipsum accingam oportet.

HISTORIA MORBI.

Hominibus ob consuetudines, educationem, doctrinamque pueriles parentum pa-

triae deditis, in regiones veruntamen quasdam exteras atque longinquas ex necessitate arcessitis, si quando res quaecunque natalis soli memoriam in pectore commoverint, redeundi desiderium plus minusve vehemens, aut semper, aut plerumque concitabunt.

Sin autem huic desiderio diutius indulgeretur, mentem adhuc altius penetrabit, desiderantesque peregrinosve tristitia summa afficiet.

In hoc solum animo incumbens, *nostalgia* aegrotus multitudinem fugit, vitamque ab oculis et hominum convictu remotam agit; parum comes a sociis discedit, atque a congressu eorum olim et optabili et expetendo, nunc prorsus abhorret; tristis et lugubris et statua taciturnior evadit.

Colorem oris rubrum sanitatis indicem cum pallore faciei, vires fractas satis superque denotante, commutat; vultus hilaritate non amplius calet, at pertristis fit. Sanguis gressu tardo languidoque ad cor venit. Aegrotus animo fractus est; oculi ei hebes-

cunt; artus tremunt; corporis vires nervorumque robur aegrotum miserum relinquunt.

Concoctionis facultates debilitate summa laborant; canalis alimentarius incommodis maximis afficitur; aegrotusque flatu alvique constrictione opprimitur.

In hoc statu rerum nec alimenta aegrotus appetit, nec vires concoquendi in ventriculo insunt; cibi etenim satietas fastidiumque *nostalgia* aegrotantem male capiunt.

Medici de malis suis percunctationibus aut suspiriis solummodo *nostalgicus* respondet; aut forsan oculorum lachrymationes animi angorem melius quam verba sane depingunt, noctes inquietas insomnesque ducit.

Sin autem horas sub matutinas somno sese dederit, res pro origine fontibusque malorum jure habendae ei somnianti ante oculos versantur. Corpus indies magis magisque ei marcet, miserque atrophia perit.

In stadio morbi provectiore, die vesperas-

cente, corpus *nostalgici* praeter modum calet, sudoresque matutini impetum faciunt. Rebus sese ita habentibus, aegrotus febris accessionibus paroxysmis hecticis qui phthisi confirmatae, stadiisque morborum quorundam aliorum extremis sese comites praebent, haud dissimilibus tentatur.

Omnia nunc in pejus ruunt; ungues adunci evadunt; tunicae oculorum adnatae margaritae colorem referunt; vultus pallet et collabitur; aegrotus prostratione virium summa obruitur; dolore attamen siti, tussique vacat, at saepius aqua inter cute laborat, tandemque peregrinus miserandus morbo atroci succumbit, "*Miseros consumit, et lethum ducit, si videndi patriam cognatosque copia denegatur.*"

DIAGNOSIS.

Quod ad morbi nostri diagnosin quidem pertinet non sane est, cur fusius diceremus, signaque pathognomica me quidem latent, quibus malum hocce, a morbis aliis diversis, quorum speciem, *nostalgiae* symptomata haud pauca prae se ferunt, internosci et secerni potest.

In hoc igitur statu rerum, medicus, causa *nostalgiam* morbo quovis alio consimili certius rectiusque dignoscendi, vitam, mores, historiam sermonemque aegri, si fieri potest, summa cum cura exploret oportet.

CAUSAE.

Sequitur pars tentaminis hujusce admodum manci, in qua, et de causis, quae stu-

dio erga patriam vehementiori concitato, corpus in *nostalgiam* proclivius reddunt; et de causis, quae natalis soli memoria terra longinqua revocata, morbum in corpore ei obnoxio facili gignunt.

Quatenus artes vitaeque instituta diversa amorem patriae aut foveant, aut obtundant, quaestio, me judice, summi momenti, indagatione accurata prorsus digna est; nec minus operae pretium foret, investigare, quibus aevis temporibusve, ab aetatibus indoctissimis ad nostram admodum excultam, virtus haecce maxime enituit.

At si consilio hocce persisterem, ultra opusculi hujusce terminos debitos, longe, longeque vagarer, nimisque sero ad extrema venissem; tempus etenim premit, citoque pede praeterit.

In hac rerum inclinatione verbosius haec scribere ne penes quidem me est, ideoque rem leviter perstringere necesse sane habeo.

Regionis sterilis incolis, vitam sub coelo frigido duroque degentibus patria, carior

procul dubio est, ac illis qui terram feracem calidioremque inhabitant, aërisque temperie aequali fruuntur.

Hinc ratio forsitan patet, quare terrae borealis cui Greenland nomen est indigenae, patrum patriae arctissime adhaerent; regioneque glaciali qua aëra primum inspiraverunt renunciare, nullis incitamentis persuadere possunt *.

Quinetiam, si quando, quidam Islandicus Hafniam ob negotia quaevis iter fecerit, tempus domum redeundi vehementissime expetit.

Desiderium veruntamen patriae revisen-

* Christianus IV. Daniae rex, ad oras Greenlandiae explorandas naves tres misit. Navium harum duces indigenas diversos deportaverunt, qui simul atque capti sunt, " rent the air with their cries and la-" mentations. They leaped into the sea; and when taken again on " ship-board, for some time they refused all sustenance. Their eyes " were continually turned towards their dear country, and their faces " always bathed in tears. Even the countenance of his Danish Ma-" jesty, and the caresses of the court and people, could not alleviate " their grief. One of them was perceived to shed tears always when " he saw an infant in his mother's arms; a circumstance from whence " it was naturally concluded, that he left his wife with a young child " in Greenland." Vid. Encyclop. Britan. Art. Greenland.

dae hocce, quod regionum aridarum, frigidarumque habitatores semper magnopere colunt, inopiae miseriaeque, quibus premuntur, neutiquam, procul dubio attribuendum est. Haec etenim mala, illecebris prorsus vacua, certo certius nullis cupienda sunt. Quamobrem, adducor, ut patriae amorem quo regionum harum incolarum animi ardent consuetudini usuive cuivis iis propriis ascribam, quippe qui causas morales potius ac physicas sane agnoscat.

Dum homines adhuc rudes et inculti, victum venatione, piscationeque quaeritant, amor patriae haud raro vel languet, vel omnino deest. Homines etenim, qui aut causa praedam faciendi, huc illuc per sylvas nemoraque circumcursant, aut causa cibum parandi, mari procellis turbato sese scaphis committunt, nexum cum quodam loco, tugurio male condito, casave miserabili solummodo habent.

His a frigore coelique intempestate perperam muniuntur, eaque de causa, ex hos-

pitio haud aegre demigrant, sedemque nullam stabilem et fixam habent; at promptius adeunt, ubicunque terrarum facilius pleniusque aluntur.

Patriae amorem, locique cujusdam studium pastores agricolasque potissimum colere, nullus equidem dubito. Hinc ratio patet, quare Asturiae, Scotiae monticolae, Cambriique studium hocce utpote fovent.

Artes etenim humiles opificiaque in stadio consociationis hominum atque communitatis hocce exculta et pauciora sunt, et rebus ad victum necessariis parum luxuriae inserviunt.

In hac inclinatione rerum animus et otio fructus ad facultatem considerandi utendam magis valet, et plerisque vanis inanibusque timoribus vacat, qui genus humanum aevo magis impolito et terrent et agitant.

In coelestia lumina *phaenomena*que naturae magna, homines hisce in conditionibus animum intentius incumbunt; eaque de causa, cogitationes de universi terrarum orbis

conditore grandiores, et quodammodo excelsiores accuratioresque iis in animo insunt.

In terris populo parum frequentibus, incolae totis agris palantur; conviviis magnopere moventur, quippe quae perrara sint; epulas liberaliter semper struunt; conventusque eorum carminibus bucolicis hilares redduntur, cursuque ad numeros fistulae, tympanive minoris dispares indoctosque moto, fibrae sive cordis sive corporis totius musculares omnes concentu eodem vibrantur.

Frumenta sata, quae sensim maturescunt, arborumque, quas vel ipse vel pater manibus conseverunt, incrementum semper progrediens, agricolam ad agrum laboribus propriis cultum arctissime alligant oportet.

Locis prospectu amoenis hisce additis, studium erga natale solum summum, in hominibus hoc modo occupatis inesse, nobis mirum videri non debet. Helvetii et Astures et Scoti monticulae et Cambrii, ut supra ob-

servavimus, et amore patriae summo ardent, et in *nostalgia* admodum proclives evadunt.

Hae etenim regiones, Helvetia potissimum, illi de qua sermonem habuimus, satis conveniunt: quod ad Helvetiam utpote quidem attinet, regionibus aliis plerisque, amoenitate, pulchritudine, amplitudineque aspectus, plerisque aliis longe, longeque procul dubio, antecedit.

Acerrimae et maximae Helvetiorum nationis mores habitusque, M. de MEHEGAN, scriptor Gallicus, verbis sequentibus ad vivum depinxit *.

In aevo commercio dedito, studium erga parentum patriam haud parum hebescit. Oblectamentis etenim consociatione hominum ortis, accessus facilius patet, eaque de causa oblectamenta haecce minoris aestimantur.

Quinetiam, consilia et desideria pleraque, quae apud incolas plerosque, in summa gra-

* "Peuple simple, bienfaisant, brave, ennemi du faste, ami de travail, ne cherchant point d'esclaves, et ne veulent point de maitres."

tia sunt, cum terra habitata laxius connectuntur.

Si ratiocinationi huicce fides habenda sit, homines scientia doctrinaque imbutos, amore patriae minus affici, non sine magno animi angore confitendum est. Philosophus etenim, consanguinitatis nexum, communitatemque, qua ortu tenetur, male despiciens, inter reipublicae cives sese inscribere justo proclivior est.

" A wise man," inquit homo nobilis Bolingbrokus, " looks upon himself as a citizen " of the world, and when you ask him where " his country lies, points, like Anaxagoras, " to the heavens. Let us march therefore " intrepid wherever we are led by the course " of human accidents. On what coast soever " we are thrown by them, we shall not find " ourselves absolute strangers ; we shall meet " with beings endowed with the same facul- " ties, and subject to the same laws of na- " ture ; we shall see the same virtues and " vices varied in a thousand different modes ;

"we shall feel the same revolutions of the "seasons, and the same sun and moon will "guide the seasons of the year; the same "azure vault, bespangled with the stars, "will be spread over our heads, and whilst "our minds are occupied with high and phi-"losophical contemplations, it imports no-"thing what ground we tread upon."

Agricola Mantuanus in exilium pulsus, cujus lugubrem lamentationem fletumque moerentem, VIRGILIUS poëtae nulli quidem secundus, carmine animo commovendo admodum idoneo, describit, longe longeque aliter ac vir nobilis Anglicus hicce, summis animi dotibus instructus, de natali solo sentit.

"En unquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis et tuguri congestum cespite culmen,
Post aliquot mea regna videns mirabor aristas?
Impius haec tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? En quo discordia cives
Perduxit miseros! en queis consevimus agros!
Insere nunc, Meliboee, pyros, pone ordine vites:
Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
Non ego vos posthac, viridi projectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo." Ecl. I.

CAUSAE EXCITANTES.

INTER causas *nostalgiae* concitantes, omnes res, quae, ratione ad similitudinem, situm rerum contrarium vel diversum (*Anglice contrast*) principiaque idearum consociationis alia, rite habita, ad natalis soli memoriam animum revocant, enumeranda veniunt.

Verum enimvero ex causis hisce musica efficacissima jure habenda est. Artis hujusce vires, exercitus Gallici olim satis superque senserunt. Helvetii etenim mercede conducti, partem exercituum horum longe majorem olim constituerunt. Hique stipendiarii, quam primum carmen quoddam bucolicum "*Ranz de Vaches*" dictum audiissent, signis *nostalgiae* omnibus illico corripiebantur.

Eaque de causa, fistula Helvetica canentes, canticumque hocce, vel in triviis, vel in

vicis, vel in exercitu disperdentes, verberibus, morteque multati sunt, quippe quod et milites Helveticos *nostalgia* obruisset, et eos, missione non obtenta, exercitum deserere induxisset.

CAUSA PROXIMA.

Quod ad causam *nostalgiae* proximam quidem pertinet, de ea, haud secus ac de causa morbos alios diversos continente, in alta caligine certo certius versamur, ratioque inter affectum animi huncce, desiderium, nimirum, patriam revisendi, signaque dira, inter historiam morbi tradendam supra recensita, explicatus difficillimos sane habet; nec investigantem forsitan penes erit, quaestionem hancce perobscuram luculenter enodare, usque dum nexum animum inter et corpus, viresque quas in se invicem exercent, accuratius resciverimus.

Rebus ita sese habentibus, operam oleumque procul dubio male perdidissemus; si de hac re, quae nec caput, nec pedem revera habet, pluribus verbis disseremus.

RATIO MEDENDI.

In hoc morbo succurrendo, medicamentis neutiquam omnino nitendum est; quippe quae, aut causa signa debilitatis vel mitigandi vel sublevandi, aut causa alvum rite solutam tenendi, solummodo in auxilium vocanda sint: *nostalgia* etenim aegrotantes, ut supra fusius ostendimus, et debilitate summa, et alvi astrictione gravi, male laborant.

In *nostalgia*, aut allevanda, aut curanda, indicationes duae, mea sententia, absolvendae veniunt.

I. *Medicus symptomata graviora mitigare nitatur oportet.*

II. *Morbo prorsus succurrere conari debet.*

I. *Signa graviora mitiganda sunt.*—Causa indicationem hancce absolvendi, medicus opiatum h. s. sumendum praescribet, usuque catharticorum potentiorum intestinorum torpori obviam eundum est; stimulantiaque necnon vinum, scilicet spiritusque stillatitii rite aqua diluti, certis in casibus pro aegro facient.

Quin et, haud poenitet me eorum sententiae esse, quibus in signis morbi hujusce gravioribus sublevandis, stimulantia, vinum, scilicet, spiritusque stillatitii rite diluti, moderatius sumpti, arrident.

Quin imo tonica, cinchona nimirum officinalis, corporisque exercitatio lenis, causa aegrotantis vires aut sustendandi aut reficiendi, in auxilium vocare licet.

II. *Nostalgia aegroto penitus succurrere, medicum conari oportet.*—Quod ad indicationem hancce absolvendum quidem pertinet, in morbo nostro medendo, ad remedia quae

effectus in mentem potius ac in corpus e-dunt, curans confugiat oportet.

Rebus ita sese habentibus, aegrotantem verborum lenociniis permulceat, eique spem desiderio citius potiundi injiciat. Sermonem de natali solo eo cum habeat facultatemque dulcem domum, si potest fieri, revisendi praebeat.

Refectionem convalescentium e morbo ancipite diversorum, remediis nullis adhibitis, satis mirari non possumus. Se *nostalgia* laborantem hoc modo ad sanitatem redactum fuisse, SAGARUS in morbi hujusce definitione tradenda nos certiores facit.

ROBERTUS HAMILTON de Ipswico, M. D. historiam morbosam conscripti cujusdam Cambriensis, literis mandavit, quae effectum spei patriam revisendi praestantem in apricum profert. *Nostalgia* aegrotantem huncce mirum in modum macie confectum fuisse; prostratione virium summa laborasse; vultumque necnon torvum ei infuisse, hic medicus nos rite docet.

Pulsus arteriarum et frequentes et exiles evasere; cibi appetitus eum defecerat; trepidatio subita aegrum nostrum somno perturbato excitavit: corpus denique conscripto miserando hectica extabuit; ungues curvi facti sunt; tunicae oculorum adnatae colorem Margaritarum induerant: vinum cardiaque, tonicaque, frustra in usum adhibita fuerant; aegerque numerum dierum cito explevisset, si medicus, et exercitatus et gnarus, ideoque morbi naturae rite peritus, militis praefectum petens, commeatum hebdomadas sex impetrasset, resque novas bonas aegroto impertiisset.

Verum enimvero, fide commeatus hoc modo promissa, aeger citius cibum appetebat; viresque ei increverant. Paucos intra dies e lecto surrexit; menses post duos, ad pristinam sanitatem redactus, militum nosocomium reliquit *.

Morbum, de quo paginis hisce disputatur, mihi ante oculos nunquam versatum fuisse

* Townshend's Guide to Health, p. 586.

facile agnosco, eaque de causa et brevis esse et aliorum auctoritate potissimum niti necesse sane habeo.

Hoc igitur in statu rerum, causa et morbi hujusce naturam, veritatemque stabiliendi, et curationem nunc traditam, experientia usuque ratam habendi, historiam *nostalgiae* alteram *, satis superque evidentem, ob quam memetipsum Ricardo Henly, M. D. obstrictum teneo, in lucem edere, lubet, forsitanque juvabit.

Dominus P. juvenis, honesto loco Hibernia natus, ibique magnis opibus praeditus, quem vitam regione hacce degens, usu cognitum habebam, praefecti militaris diploma emuit, cohortemque in suam paulo ante domo quam alii, accessit.

Epistolam juvenis hujusce ad matrem missam nuperius accepi, in quo illa domina me de sorte filii sui admodum iniqua certiorem fecit. Cum cohortus praefecto, litibus et jur-

* Vide Transactions of the Royal Physical Society of Edinburgh.

giis contendit; cohorteque non bene relicta, perditus ac profusus nepos evasit; patrimonioque epulis, commessationibusque magna ex parte attrito, speque prorsus abjecta, in militibus gregariis nomen suum profitebatur.

Rerum amici quondam mei novitate infelicitateque sane perculsus, eum in casibus militaribus "*Piershill*" dictis, urbemque prope hancce sitis, hospitari, consternatione animi adhuc majore intellexi. Militis miserandi matrem, studio erga filium suum infelicem, commiserationeque summi incensa, conditionem ejus aerumnosam mihi literis impertiit; me et ad eum adire, et pecuniae difficultatibus eum eripere oravit.

Quin et, illam ad missionem ejus obtinendam valuisse, missionemque impetratam citius ad eam metendum esse, eumque denique praefectum alia in legione citius constituendum fore, ut eum certiorem facerem rogavit.

Mandata haecce grata, animum mihi sane oblectavere, ideoque ea cum amico meo infe-

lici communicare festinavi, eamque ob causam, memetipsum casas militares contuli, militemque infortunatum inquisivi.

Decurio cuidam et causam ejus digito monstravit, et eum, diebus proxime exactis, se gravissime habuisse, malisque a communi usu prorsus alienis laborasse ; citiusque in nosocomium translatum iri me certiorem fecit.

Juventutem infelicem nullum potuisse verbum emittere ; cibum neutiquam appetiisse ; noctes amaras vigilasse ; semper gemuisse ; lachrymosque illi saepius prosiluisse ; decurio me necnon docuit.

Quin et, facultatem cubiculum ingrediendi mihi promptius dedit : at meum amicum vocem ne missuram quidem esse praemonuit.

Gradum attamen extrinsecus stiti ; decurionemque militem aegrotantem amici cujusdam oppidani adstantes commonefacere jussi.

Decurione mandatis parente, mentionemque oppidi proprii hoc modo faciente, aegro-

tus, Quis hic est? vociferans, e lecto pedetentim surrexit, celeriterque sese ad indusium nudum, foras proripuit, mihique obveniens, sane exultavit.

Nihil equidem vidi quicquam laetius; gaudium suum verbis describere, nemo quidem penes est. Quas res novas cognovi, iterum, iterumque quaesivit; percontari vix ac ne vix quidem desinere potuit; me saepissime dextra prehendit; cachinnos summos sustulit, seque statim comparavit.

Rei novitate, mutatione, scilicet morum aegrotantis nostri subita, commilites sane perculsi fuere; quippe qui hominem melancholia, taciturnitate miseriisque summis prorsus obrutum, citius dicto voluptate animique oblectatione penitus perfusum observaverint, attonitusque igitur haesirint animis.

Fortunam suam sese in meliorem citius inclinaturam esse eum gradatim certiorem feci. At occasio amicos suos patriamque extemplo revisendi, animum ejus suavitate potissimum explevit.

Fato meliore hoc modo fruens, ad se paullatim rediit, brevique omnino convaluit. Paucas intra hebdomadas, militis munera omnia alacriter praestitit.

Equitum manipuli ejus omnium, ille strenuissimus, solertissimus, expeditissimusque factus est ; viribusque et animi et corporis mei amici hoc modo felicissime refectis, laetebar, propterea quod corpore sano in mente sana fruebatur.

FINIS.